

1550 te potens, eam orationem habuit, qua illorum temporum statum, & conditionem expressit, novique Pontificis ad sananda christianæ reipublicæ vulnera, atque Italiæ pacem conservandam mirifice adeo inflammavit animum, ut cunctorum approbatione summi oratoris, ac Senatoris laudem ferret.

Publicis exhibitis officiis, secretiora Senatus mandata legati exequuntur. Nam Camertibus Balduino fratri, Ancona Vincentio Nobili, sororis filio, a Julio traditis, cum vulgaretur, Herculi Ferrariæ Duci ducentorum aureorum millibus Ravennam, ac Cerviam oppignerari velle, eaque de re Matthæus Dandulus, ordinarius legatus, Senatui scripsisset, Julium adire legati jussi sunt, atque ab eo petere, ut si quod fama percubuerat, veritate niteretur, Reipublicæ jura iis in urbibus Ravennæ, ac Cerviæ ex Bononiensi fœdere anno 1529. sancito, discuterentur: eas civitates Senatui potius, quam aliis concedi æquum esse; quæ videretur æqua eam pecuniæ summam numeraturum: sin vero rumor is falsus esset, enixe Pontificem orarent, ut tandem, juribus in gravissima causa perpenſis, Reipublicæ prospiceretur. His Julio expositis, respondit: De oppignerandis Ravennæ, ac Cerviæ urbibus nihil sibi unquam in mentem venisse; ab oppidis pontificiis alienandis averſum esse: quod vero ad Reipublicæ jura attineat, ejusmodi temporum conditionem, ut de iis agatur, non esse: rem satius silentio premere, ne exemplo ceteri Principes ad res in Italia novandas, quibus quies interturbari posset, incitarentur. Sed ea tempeſtate subſecuta, qua & gravissimi in Italia belli semina jaciebatur, & renovandi cum Turcis haud obscura certaminum initia suboriebantur, negotium in aliud tempus dilatum est.

Julius magna, ut diximus, omnium expectatione ad pontificatum evectus, illecebris supremæ dignitatis irretitus, paulatim a gravissimis curis, negotiorumque mole cœpit animum subducere; quæ, ut imminentium malorum cumulis obsisteretur, meditanda erant, negligere; tempus ignobili otio inter hortorum amœnitates terere, in quibus regias ædes ædificari, priscisque antiquorum monumentis marmore Pario, exquisita arte, & immenso sumptu elaboratis operibus exornari studuerat. Ex ea Pontificis incuria plurimum christianæ reipublicæ detri-